

48

## G E S T A

qui sub Constantino Copronymo vixerit, non inutilis tamen est coniectura Henschenii, qui Fredegarium Dagoberti coæuum dicit cap. IV & X. Et licet quidem Chronicon eius vsque ad tempora Constantini Copronymi videamus continuatum, non tamen omnis labor est Fredegarii, sed ipse Chronicon suum, vti putat Henschenius, in capite XC ad annum IV regni Clodouæi finit, reliqua capita a non vno auctore, (pro more illorum temporum antiquorum chronica continuandi,) fuere addita. Mouet me magis diuersitas Codicum Nazariani, in bibliotheca Archi-palatina: & Bauarici, quibus in editione sua vsus est Marquardus Freherus, e quibus Bauaricus ad vltiora tempora progreditur ac Palatinus. Immo etiam capitula Chronici, quæ præmittuntur apud Freherum, ex codice Palatino, non vltra extenduntur, quam ad cap XC *de Willibadi interitu & Flaocati obitu*; vt ergo magis credam, reliqua ab aliis fuisse addita. Immo etiam, dum ex prologo, dum ex cap. LXXXI vbi se Chronico suo inferere dicit, quæ ex veritate cognita haberet, aliquantum patet, se plura præsentem vidisse. Quidquid sit, Fredegar